UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

21. An qui audit Missam post finitum Euangelium, satisfaciat præcepto? Et quid si ab Offertotio vsque ad benedictionem Sacerdotis intersit? Et cursissimè docetur, quod quis non teneatur Mißæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

Sup. hoc ſupra in tr. 1. Reſol. 33. §. Nota verò à lin. 5. & in Reſol. 36. §. Notandum eſt, & in Reſ. 41. §. Item à verſ. Alibi etiam.

2. Notandum eſt etiam hic ſecundum Hurtado *diſput*.4. *diffic*.25. ex eo, quod ſacrificium Miſſæ pro pluribus oblatum proſit ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offerretur, credimus vna Miſſa ſatisfieri pluribus petentibus vnam Miſſam, dummodo ab illis non ſit acceptum ſtipendium, ſed gratis multis perſonis Miſſa promiſſa fuerit, quod eſt valde notandum. Et ratio eſt, quia non eſt alia obligatio in Sacerdote, quàm applicandi petenti Miſſam fructum ex opere operato, ſeu ex inſtitutione Chriſti, qui non minùs obuenit ſingulis, quàm ſi vnitati applicatur; & non eſt obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationem; & precum, & aliarum actionum Miſſæ (qui minus obuenit ſingulis,) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam ſatisfacit petenti Miſſam. Ita Hurtado ex Ægidio Coninch; ſed an probabiliter, iudicent alij: nam hæc opinio multis recentioribus non placet.

RESOL. XXI.

An qui audit Miſſam poſt finitum Euangelium, ſatisfaciat præcepto?

Et quid ſi ab Offertorio vſque ad benedictionem Sacerdotis interſit?

Et curſiſſimè docetur, quod quis non tenetur Miſſæ intereſſe, niſi vſque ad miſſionem, & benedictionem Sacerdotis; & ideò non tenetur audire Euangelium S. Ioannis ſi in principio Miſſæ audiuit aliud primum Euangelium. Ex p. 5. tr. 14. & Miſc. 2. Reſ. 70.

§. 1. NEgatiuam ſententiam docet Mercerus *de Sacram. q.* 83. *art.* 6. *dub.* 4. *notab.* 4. *n.* 3. Præpoſitus *in* 3. *part. q* 83. *art.* 6. *dub.* 4. *n.* 203. Villalobos *in ſum. tom.* 1 *tr.* 8. *diffic.* 35. *n.* 2. & hanc ſententiam ita mordicus tenet Turrianus *in ſelectis diſp. p.* 2. *diſput.* 31. *dub.* 28. vt contrariam temerariam eſſe exiſtimet.

2. Sed iſte author, vt ſæpiùs cum triſtitia dicere ſum coactus, nimis immodeſtè ſe gerit in cenſurandis opinionibus, & ſententias, quæ in ſcholis doctiſſimæ ſuæ Societatis leguntur paſſim, eiuſdemque Scriptores typis mandarunt, nunc improbabiles, nunc temerarias, non ſcandaloſas immeritò vocat. Ideò ad propoſitum dubium reſpondendo aſſero, ſententiam tunc eſſe improbabilem, licet ego negatiuam teneam: vnde non damnarem de mortali, qui Miſſam poſt dictum Euangelium audiuit vſque ad finem. Et ita hanc ſententiam docet ex eadem Societate IESV, præter Hurtadum quem citaui *in* 4. *part. tractat.* 4. *reſolut* 196. nouiſſimè Ioannes de Lugo *de Sacrament. Euchariſt. diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 3. cui adde Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 7. Emanuelem Sà correctum *ver. Miſſæ auditio, num.* 2. Fagundez *pr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 201. Fauſtum *de Euchariſtia, lib.* 2. *quæſtione* 386. Layman *lib.* 4. *tractat.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. vide etiam Patrem Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 88. *ſectione* 2. & ratio eſt, quia Euangelium Diui Ioannis iam eſt aliquo modo pars Miſſæ, & alioqui valde probabile eſt, non teneri fideles audire duo Euangelia in eadem Miſſa, alterum ipſius Miſſæ, alterum D. Ioannis, cùm non teneatur Miſſæ intereſſe, niſi vſque ad dimiſſionem, vel benedictionem, & ideò audiendo poſtremum Euangelium D. Ioannis in eodem tempore Miſſæ ab eodem Miniſtro, eodemque actu continuato, videtur ſatis compenſar Euangelium in principio omiſſum, & ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, maximè quia non e neceſſe audire Euangelium proprij, ſicut non eſt neceſſe audire Miſſam proprij diei feſti, ſed ſufficit quamcumque audire. Ita Fagundez. Sed alij addunt aliam rationem, quia omiſſio hæc non videtur attingere grauitatē, ad conſtituendū peccatū mortale.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens, & in Reſ. ſeq. in princip. & in fine, & recitāter in alia Reſ. eius vlt. not.

3. Non deſinam tamen hic adnotare vnum, quod obſeruat Layman *vbi ſuprà*, quod tamen non approbo, videlicet Amalarium ſignificare *lib.* 3. *de Eccleſ. offic. cap.* 36. fideles grauis culpæ damnari non poſſe, ſi ab Offertorio (vnde principium Miſſæ ſumendum eſſe ex Iſidoro refert vſque ad benedictionem Sacerdotis interſint; & ſubdit Layman, ſe nihil contra communem Doctorum ſententiam definere, ſolùm dicit, duriuſculum videri, ſi hominem qui circa Offertorium ad Miſſam acceſſit, peccati mortalis damnemus, quod reliqua neglexerit, ſecluſo contemptu, quando quæ principalia in Miſſæ Officio ſunt, attentè audiuit. Ita Layman. Sed tu cogita, quia talis omiſſio clarè apparet eſſe notabilem Miſſæ partem. Ergo, &c.

RESOL. XXII.

An in auditione Miſſæ detur paruitas materiæ?

Et an ſi quis non interſit conſecrationi, & ſumptioni, vel parti Canonis, licet reliqua omnia Miſſæ audiat, non ſatisfaciat præcepto? Ex part. 5. tract. 5. Reſol. 44.

§. 1. REſpondeo affirmatiuè, vt patet per ea quæ docet Coninck *de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 6. *dub. vn. num.* 285. vbi ſic aſſerit: Conſtat obligationem audiendi Miſſam eſſe grauem, & conſequenter eum peccare mortaliter, qui ceſſante rationabili cauſa, aut integram Miſſam, aut notabilem eius partem omittit, qualem ſecundum communem ſententiam omitteret, qui veniret poſt Euangelium lectum, ſecus, ſi veniret antequam Euangelium legatur, ſi modò totam reliquam partem audiret, quod ſi veniret poſt lectam Epiſtolam, & exiret ſtatim poſt Communionem, communiter docent peccaturum mortaliter, & ſimiliter qui exiret ante communionem, quia hæc eſt notabilis pars. Ita Coninck, cui etiam adde Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 35. *num.* 2. vbi ſic ait: [La Miſſa ha de ſer entera, como conſta del derecho, y aſſi qualquiera coſa que dexare por culpa, ſera pecado, y podra ſer venial por poquetad de materia, quando fueſſe pequeña parte la que ſe dexaſſe, como ſi ſe dexaſſe vno al Epiſtola incluſiuè. Aſſi lo dize Syluestro, San Antonio, Sandoual, y otros, con tal que oyeſſe deſpues la Miſſa haſta el cabo: otros eſtienden haſta el Euangelio. Ita Sotus Y aun Nauarro dixo, que el que deſde el Credo, ò Ofertorio aſſiſte à la Miſſa, cumple el preceto con tal, que diſpues leer, o lea el Euangelio. Mas eſſe impertinente, que para la Miſſa importa el Euángelio que ſe lea à parte harta licentia me parece que es haſta acaba la Epiſtola. Lo miſmo ſeria ſi vno oyeſſe la Miſſa haſta la Commuion, y deſpues ſe ſalieſſe, lo qual ſeria pecado venial; con todo es bien que los Curas en las aldeas reprehendan la mala coſtumbre, que tienen los labradores. Aduiertan aqui los Doctores, que eſta paruidad de materia ſe ha de entender fuera de lo eſſencial de la Miſſa, que ſi vno faltaſſe à la conſegracion, y al conſumir no oyria Miſſa, y ſi faltaſſe à alguna parte del Canon, aunque ella fueſſe menor que el principio de la Miſſa haſta la Epiſtola ſe auria de iuzgar por mayor quanto à la culpa.] Ita ille. Vide Mercerum *de Sacrament. in* 3. *part. q.* 83. *art.* 4. *dub.* 4. Sed de hac quæſtione ego etiam alibi docui eſſe materiam paruam ſi audiatur Miſſa poſt Euangelium dictum,

quam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN